

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

LXXX. Quod aliis serio persuadere vult, id prius ipse sibi persuadeat, quod dicit,
hoc sentiat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

dentiam Ecclesiasticus Orator, ut quando graves affectus excitavit objurgando, contestando, exclamando, terrendo, severitatem judicii divini ostendendo &c. convertat sese ad affectus lenes, & benignitate quadam & blanditiis mulceat veluti, auditorum animos, spemq; excitet divinæ misericordiæ, ac divinæ bonitatis amorem. *Nam poenitentis mens tunc bene dirigetur*, ait Gregorius Expositionum Lib. V. in 1. Reg. cap. 12. *si divina judicia metuat, & Deo omnipotentis misericordia confidat*. Quare summo studio contendere Ecclesiæ Minister debet, ut peccantem denunciatione iræ Dei & poenarum temporalium & æternarum terreat, & territum ad spem veniæ deducat, quatenus per metum peccare desinat, & per spem impetrandæ indulgentiæ, divinæ misericordiæ portum quærat. In genere, eos induat animi motus, quos vult oratione exprimere. Irascatur vitiis, ingemiscat, miseriis, percellatur magnitudine iræ divini Numinis, admiretur summam Ejus clementiam & longanimitatem &c.

LXXX.

Quod aliis serio persuadere vult, id prius ipse sibi persuadeat, quod dicit, hoc sentiat.

LXX

Εἰρήνης.

Optimam rationē movendi affectus & relinquendi in animis auditorum aculeos docet *Horatius* in *Arte Poetica*, post init. inquit; Si vis me flere, dolendum est primum ipsi Tibi. Item alius; Ardeat Orator; si vult accendere plebem. Certe, inquit *Fabius Quintilianus* lib. XII, cap. I. melius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim sese, quamlibet custodiatur simulatio, nec unquam tanta fuerit eloquentiae facultas, ut non titubet & bareat. Vir autem malus aliud dicat necesse est, quam sentit. Affectum, quem movere intendit, ipse Orator induat. Nam nihil tam validè penetrat cor auditorum, nisi quod ex corde dicentis prodiit. Ideo omnium efficacissimè docere possunt, qui doctrinae suae experimenta habuere in semet ipsis, ut inquit *B. Balduinus* in brevi *Institut.* cap. 12, p. 133. *Erasmus* quoque in *Ecclesiast.* pag. 195. Edit. pecul, ait; Nullus potest loqui ad cor populi, nisi loquatur ex corde. Nihil incendit, nisi ignis; Si itaque alios vis incendere, ipse prius ardeas oportet, qui si ipse frigebis, nihil mirū est, auditores nihil flammaram concipere. Illud primum & optimum ciendorum affectuum praesidiū est, ut si velimus alios commoveri, prius nos commoti simus. Affectus moturus, ipse

H h 4

affe-

affectus sit. Quod de corde procedit, corda penetrat. Nisi ardeat Minister predicans, non accendit eum, cui predicat, ait Augustinus. Quia à labiis, non è corde profluit oratio, non movet auditorem. Masenius Jesuita Palast. Orat. Lib. I. cap. 23. p. 113. inquit; Orator, quo auditores accendi volet affectu, hoc ante exardescat necesse est. Hic ignis, nisi à tali igne, non concipitur. Pulcherrimū elogium, quo à Salvatore laudatus est Johannes Baptista, Christi πρόδρομος, competit in bonū Ecclesiæ Ministrū: Erat Lucerna ardens & lucens, Joh. V. 35. Ardere prius est, lucere posterius; Ardere intrinsecum, lucere extrinsecum; Lucerna, qua in semetipsā non ardet, eam rem, cui supponitur, non accendit, inquit Gregorius Homil. II. in Ezech. Est tantū lucere, vanum, tantum ardere, parum; ardere & lucere perfectum, ait Bernhardus Serm. in Nat. Joh. Bapt. Ardor mentis est, lux doctrine, inquit Erasmus Lib. I. Ecclesiast. p. 660. Oper. Habent & opera lucem suam, teste Domino; Luceat lux vestra corā hominibus, ut videant opera vestra bona. Verum ut lux operum sine ardore hypocrisis est, ita doctrina diluta est & inefficax, nisi ab ardenti spiritu proficiatur. Cōcionator nō sit ἄλλανιατὸς ἑλκεσιβρων, i. e. Medicus aliorum, ipse ulceribus scatens, sed ante
omnia

omnia pectus suum erudiat & confirmet iis
dogmatibus & consolationibus, quæ in aliorū
aures infundendæ sunt. Ita enim fiet, ut ple-
no de pectore plenum eloquium fluat. Quia
pectus est, teste *Cicerone*, quod facit disertos.
Ac ne affectus Concionatoris affectatus & si-
mulatus videatur, opus est, ut tota ipsius vita
spiret sanctitatem. Juxta ante citatum *Erasmū*
Ecclesiast. Lib. III. p. 607 seq. Nihil efficacius
est ad concitandos pios affectus, quam si ipse
fueris piæ affectus, neq; quicquam utilius ad se-
dandos improbos affectus, quam si ipse fueris
ab his alienus. Mens ignea linguam facit igne-
am: Nemo efficaciter inflamat ad pietatem,
nisi qui verè pius est. Nemo potentius revocat
à vitiis, quam qui ipse ex animo odit vitia. Effi-
cacissimè omnium docet, qui doctrinæ suæ ex-
perimenta in semetipso habet. *Quid interest,*
quærit Carol. Regius Orator. Christiani Lib. II.
cap. 2 pag. 52. inter ejus Orationē, quæ plena fuit
ex pectore, quam dicentis ornat & armat inno-
centia & facta corroborant, qui conscientia si-
duciam & quasi frontem addit, quid, inquam
inter hujus orationē interest, atq; premortuam,
illius dictionem, quæ adversante corde solū tre-
pidā formatur in lingua, dum si ve inrebat in
vitia si ve honesta commendat, sese accusat, sese

H b s

con-

condemnat? --- Orator, qui versatur in commendatione virtutis, & vitiorum insectatione, non potest cum dignitate aut gravitate eloqui, quod vult, nisi ipse revera vitia oderit, virtutem amet. Qui cujuspiam vitium corripit, vacet eo, alioquin dicta factis deficientibus, erubescunt. Plutarchus in Moral. tract. de audit. Offic. & Gellius lib. XVIII. cap. 3. Noct. Attic. referunt, Lacedæmonum judices cum orationem satis bonam audivissent, quam improbus Orator habuerat, probasse quidem, quæ ille dixerat sed displicuisse eis, quod malus esset author sequendus; ideoq; decrevisse, ut alius bonis ornatus moribus eadem repeteret, ne pravi hominis sequuti consilium viderentur. Mali prædicatoris oratio nil nisi aerem & aurem auditorum verberat, persuadere pectus vix potest. Si talis Ecclesiæ Doctor, ut possit cum Apostolo dicere; 1. Cor. XI. 1. *Imitatores estote mei, sicut ego sum Christi.* Benè Prosser Lib. 1. de Vitâ Contempl. cap. 23. *Prædicator*, inquit, non in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat, non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus, nec plausum à populo sudeat expectare, sed gemitus, lacrymasque, quas vult à suis auditoribus fundi, ipse prius fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat. Seneca uno verbo rem